



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1863**

De S. Cedda Sive Ceddo Episcopo Londinensi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

Vita ex Ferrario.

2 De hoc Interamnensi ista scribit idem Ferrarius : Valentinus II, hujus nominis Interamnensis Episcopus. Interamnæ natus et educatus est. Hic in liberalibus disciplinis eruditus primum, deinde in Christiana religione ita profecit et litteris et moribus, ut a Gelasio I, Summo Pontifice Romæ Ecclesiæ S. Eusebii præfectus fuerit, ac paulo post ad Interamnæ Episcopatum promotus. Multos ex Arianis, qui in ea urbe tunc temporis erant, ad Catholicam fidem doctrina et vitæ innocentis exemplo perduxit. Præfuit Ecclesiæ annis circiter xxxix, obiitque vi Idus Januarii. Cujus corpus in ecclesia S. Zenonis Martyris extra urbem conditum, multis miraculis claruit.

Multos convertit.

Hæc ille. Sedit S. Gelasius a ii Martii cxxxii, usque ad xxi Novemb. cxxxvi.

3 Hujus Valentini meminit et Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum xiv Februar. cum de Valentino I agit, citatque Petrum de Natalibus, qui lib. 1, cap. 13, tradit, ab hoc S. Proculum sacerdotio initiatum, utrumque a Gothis gentilibus (Arianis fortasse scribere voluit) multa passum, imo et martyrio coronatum: quod tamen de Valentino Ferrarius non scribit. De S. Proculo agemus xiv Aprilis. Est vero hæc Interamna Umbriæ, Nare amne circumflua, unde et nomen nacta, vulgo nunc Terani, sive Terni dicitur. Nam alia est ad Lirim flumen, non procul Aquino: alia in Piceno.

Multa patitur.

## DE S. CEDDA SIVE CEDDO

### EPISCOPO LONDINENSI.

ANNO CHRISTI  
DCLXIV.  
VII JANUARI.  
S. Cedda Episcopi Londin. natalis.

Londini Britannicæ metropoli dudum ante Anglorum irruptionem Episcopi fuere, aut etiam Archiepiscopi, quæ dignitas titulo tenus a Britannis in Wallium compulsis, ad sæcula aliquot retenta est, ut iv Februarii ad S. Liphardi vitam dicemus Anglis vero religionem Christianam complexis, primus Londini Antistes Mellitus fuit, cujus vitam xxiv Aprilis dabimus; secundus S. Ceddu, sive Cedda, qui tamen an Londini Sedem habuerit, non omnino constat, Episcopus certe Orientalium Saxonum fuit, quorum metropolis Londinum; et Wilhelmus Malmesburiensis expresse Londinensium Episcopum vocat. Ejus obitus diem nusquam se reperisse testatur Joannes Capgravius in Legenda Sanctorum Angliæ. Florentius Wigorniensis diserte scribit vii Kalendas Novembr. an. dclxiv, obiisse, sed cum Martyrologium Anglicanum hoc die illum referat, id sequemur. Frater ejus S. Ceadda fuit. Lichfeldensis Episcopus, de quo ii Martii agemus: quamquam subinde is Cedda Londinensis vero Ceadda et Ceada appelletur, sed sæpius Ceddu, Cedd, Ceaddus a Beda et Capgravius. Res ab eo præclare gestas commemorat Venerabilis Beda lib. 3, Histor. gent. Angl. cap. 21, 22, 23, et alii ex eo.

### VITA

Ex Beda lib. 3, cap. 21 et seqq.

#### CAPUT I.

S. Cedda unus e primis Mediterraneorum Anglorum Apostolis.

His temporibus Middenglæ, id est, mediterranei Angli, sub Principe b Penda, filio Pandan Regis, fidem et Sacramenta veritatis perceperunt. Qui cum esset juvenis optimus, ac Regis nomine ac persona dignissimus, prælatus est a patre regno gentis illius: venitque ad Regem Nordhumborum c Oswi, postulans filiam ejus d Alchfedam sibi conjugem dari; neque aliter quod petebat impetrare potuit, nisi fidem Christi ac baptisma cum gente cui præerat, acciperet. At ille audita prædicatione veritatis et promissione regni cælestis, speque resurrectionis ac futuræ immortalitatis, libenter se Christianum fieri velle confessus est, etiamsi virginem non acciperet: persuasus maxime ad percipiendam fidem a filio Regis Oswi, nomine e Alchfrido, qui erat cognatus et amicus ejus, habens sororem ipsius conjugem, vocabulo Cymburgam, filiam Pandam Regis.

2 Baptizatus est ergo a f Finano Episcopo, cum omnibus qui secum venerant, Comitibus ac militibus, eorumque famulis universis, in vico Regis illustri, qui vocatur g ad murum. Et acceptis quatuor Pre-

a  
b  
Penda, sive Penda, Rex convertitur.

c

d

e

f

Baptizatus, curat suos instrui per S. Ceddam et alios.

g

sbyteris, qui ad docendam baptizandamque gentem illius et eruditione et vita videbantur idonei, multo cum gaudio reversus est. Erant autem Presbyteri Cedda, et h Adda, et i Betti, et k Diuna, quorum ultimus natione Scotus, ceteri fuere Angli. Adda autem erat frater Uttan Presbyteri illustris, et Abbatis monasterii, quod vocatur ad Capræa caput. Venientes igitur in provinciam memorati Sacerdotes cum Principe, prædicabant verbum, et libenter auditi sunt: multique quotidie et nobilium et infimorum, abrenuntiata sorde idololatriæ, fidei sint fonte abluti. Nec prohibuit Penda Rex, quin etiam in sua, hoc est Merciorum, natione verbum, si qui vellent audire, prædicaretur. Quin potius odio habebat et despiciebat eos, quos fide Christi imbutos opera fidei non habere deprehendit, dicens contemnendos et miseros esse eos, qui Deo suo, in quem crederent, obedire contemnerent.

3 Cœpta sunt hæc l biennio ante mortem Penda Regis: ipso autem occiso, cum Oswi, Rex Christianissimus, regnum ejus acciperet, factus est Diuna, unus ex præfatis quatuor Sacerdotibus, Episcopus Mediterraneorum Anglorum, simul et Merciorum, ordinatus a Finano Episcopo. Paucitas enim Sacerdotum cogebat unum Antistitem duobus populis præfici. Qui cum paucis sub tempore non paucam Domino plebem acquisisset, defunctus est apud Mediterraneos Anglos, in regione quæ vocatur in Feppingum. Suscepitque pro illo Episcopatum m Ceollach, et ipse de natione Scotorum, qui non multo post Episcopatu relicto reversus est ad insulam n Hy, ubi plurimorum caput et arcem Scoti habuere cœnobiorum: succedente illi in Episcopatum Trumhere viro religioso, et monachica vita instituto, natione quidem Anglo, sed a Scotis ordinato Episcopo, quod temporibus o Wifheri Regis factum est.

a Id est circa an. dclm, ut num. 3, dicitur.

b Alis Peada dicitur, Ranulfo Cestrensi Weda, filius Penda, sive, ut hic vocatur, Pandan, crudelissimi Merciorum Regis. Penda occiso anno Christi dclv, xv Novembr. Merciorum regno potitus est Oswius, et Peade genero suo regnum Australium Merciorum dedit. Sed hic an. dclvii, proditiōe, ut traditur, uxoris suæ, nefarie interfectus est ipso Paschalis festi tempore.

c Successit hic S. Oswaldo fratri in regnum anno dclxii, obiit Kalendis Martii an. dclxx.

d Harpsfeldius Aluchefredam vocat, Cestrensis Ellfedam. Soror fuit S. Ellfedæ, de qua vii Februar.

e Hic Egfrido fratri anno dclxxxv, xx Maii Sabbato, a Pictis interfecto, successit: obiit an. dccc, xiv Decemb. Ejus uxorem Cestrensis aliique Kyneburgam vocant, de qua xv Septembr.

f De S. Finano Episcopo Lindisfarnensi agemus xvii Februarii.

g Murus ingens e cespitibus et palis ab Adriano primum, deinde a Severo (alii alias contra Caledonios prætenturas fecere) veluti Romanæ provinciæ limes, ductus est a mari Germanico ad Hibernicum, sive a Tina fluminis astuario usque ad Itunæ sinum. Egregie describitur a Cambdeno, qui Britannis dici ait Gual-sever, Gal-sever, Mur-Sever: Scotis Sottiswaith, Anglis et accolis The Picteswall, sive Pehitswall, id est, murum Pictium, The keepe-wall, id est, custodiæ murum, et per excellentiam The wall; antiquis

h i k

l  
Primi isthic Episcopi.

m

n

o

EX BEDÆ.

*tiquis vero Vallum barbaricum, Præteritram, Clusutam; Dionii*  
*ἑταίριον; Herodiano ἡμῶν; Antonino, Cassiodoro et aliis val-*  
*lum, Bedæ murum. Hujus valli crebra occurrit mentio. Villam*  
*hanc regiam. Ad murum putat idem Cambdenus eam esse quæ*  
*nunc Wallowne dicitur, distatque ab Oceano XII millibus passuum.*

*h David Camerarius hujus natalem consignat XVII Januarii,*  
*ut ad eum diem dicemus. Sed cur inter Scotos eum referat non*  
*video, cum Beda diserite testetur Anglum fuisse.*

*i Idem Camerarius inter Sanctos Scotos hunc recenset XI Fe-*  
*bruarii et Bettam vocat cum Wigornensi fateturque ab aliis alio*  
*die coli; quo vero, nobis incertum est.*

*k Jure hunc, Beda assentiente, Scotis vindicat Camerarius,*  
*adscribitque, kalendis Augusti, et tradit Diunam, Diumam, Dui-*  
*nam, Dinam, Diurnam, vocari Godwinus Dwinam appellat.*

*l Ergo anno dclm cum, ut diximus, occisus sit Penda an. dclv.*  
*m Harpsfeldio dicitur Cellacus, Cellach Malmesburiensi, aliis*  
*Coellachus. Camerario præterea Colathus, Ceolachus, Colachus.*  
*Eum u Jami coli, ait idem Camerarius, uti et ms. quoddam Kalendarium*  
*SS. Ordinis S. Benedicti.*

*n Hy, sive Hu, quæ et Iona, insula Scotia: exigua, sed propter*  
*sanctissimorum ascularum Columbae et sectorum ejus palæstram*  
*celeberrima, vulgo Columbkil. De ea ad vilam S. Columbae IX Junii*  
*et alibi.*

*o Hic Pendæ filius, Peadae frater et successor, anno dclxix ad-*  
*versus Oswium rebellavit, sibi que Merciorum regnum asseruit;*  
*obit an. dclxxv pater fuit S. Werburgæ, de qua in Februarii*  
*agenus.*

## CAPUT II.

S. Ceddæ Apostolus et secundus Episcopus  
Orientalium Saxonum.

**E**o tempore etiam a Orientales Saxones fidem, quam olim *b* expulso Mellito Antiste abjecerat, instantia Regis Oswi receperunt. Erat enim Rex ejusdem gentis Sigbert, qui post *c* Sigbertum, cognomento Parvum regnavit, amicus ejusdem Oswi Regis : *d* qui cum frequenter ad eum in provinciam Nordhumbro- rum veniret, solebat eum hortari ad intelligendum deos esse non posse, qui hominum manibus facti essent : Dei creandi materiam vivam lignum vel lapidem esse non posse, quorum recisuræ vel igni absumarentur, vel in vasa quælibet humani usus formarentur ; vel certe depectui habita, foras projicerentur, et pedibus conculcata in terram verterentur. Deum potius intelligendum majestate incomprehensibilem, humanis oculis invisibilem, omnipotentem, et æternum, qui cælum et terram, et humanum genus creasset, regeret et judicaturus esset orbem in æquitate, cujus sedes æterna : meritoque, intelligendum, quia omnes qui voluntatem ejus, a quo creati sunt, disce- rant et facerent, æterna ab illo præmia essent percepturi. Hæc et hujusmodi multa cum Rex Oswi Regi Sigberto amabili, et quasi fraterno consilio saepe inculcarent, tandem juvante amicorum consensu credidit, et facto cum suis consilio, cum exhortatione faventibus cunctis et annuentibus fidei, baptizatus est cum eis a Finano Episcopo in villa regia, cujus supra meminimus, quæ cognominatur Ad murum, est enim juxta murum, quo olim Romani Britanniam insulam præcinxere, duodecim millibus passuum a mari Orientali secreta.

**S** Igitur Rex Sigbert æterni regni jam civis effectus, temporalis sui regni sedem repetiit, postulans ab Oswi Rege, ut aliquos sibi Doctores daret, qui gentem suam ad fidem Christi converterent, ac fonte salutati abluerent. At ille mittens ad provinciam Mediterraneorum Anglorum clamavit ad se virum Dei Cedd : et dato illi socio altero quodam Presbytero, misit prædicare verbum genti Orientalium Saxonum. Ubi cum omnia perambulantes multam Domino Ecclesiam congregassent ; contigit quodam tempore eundem Cedd redire domum, ac pervenire ad Ecclesiam *e* Lindisfarnensem, propter colloquium Finani Episcopi : qui ubi prosperatum ei opus Evangelii comperit, fecit eum Episcopum in gente Orientalium Saxonum, vocatis ad se in ministerium ordinationis aliis duobus Episcopis. Qui accepto gradu Episcopatus, rediit ad provinciam, et majore auctoritate coeptum opus explens, fecit per loca ecclesias,

*Mittitur ad*  
*ejus populum*  
*S. Ceddæ :*

*multos con-*  
*vertit :*

*e*  
*fit Episcopus.*

Presbyteros et Diaconos ordinavit, qui se in verbo fidei et ministerio baptizandi adjuverant, maxime in civitate, quæ lingua Saxonum *f* Ithancestr appellatur ; sed in illa quæ *g* Tilaburg cognominatur : quorum prior locus est in ripa Penteamnis, secundus in ripa Tamesis : in quibus collecto examine famulo- rum Christi, disciplinam vitæ regularis, in quantum rudes adhuc capere poterant, erudiri docuit.

**6** Cumque tempore non paucio in præfata provin- cia, gaudente Rege, congaudente universo populo, vitæ cælestis institutio quotidianum numeret augmen- tum ; contigit ipsum Regem, instigante omnium bonorum inimico, propinquorum suorum manu inter- fici. Erant autem duo germani fratres qui hoc facinus patrarunt : qui cum interrogarentur cur hoc facerent, nihil aliud respondere potuerunt, nisi ob hoc seiratos fuisse et inimicos Regi, quod ille nimium suis pacere solet inimicis, et factas ab eis injurias mox obse- crantibus placida mente dimitteret. Talis erat culpa Regis, pro qua occideretur, quod Evangelica præ- cepta devoto corde servaret. In qua tamen morte ejus innoxia, juxta prædictum viri Dei, vera est ejus culpa punita. Habuerat enim unus ex his, qui eum occide- rant, Comitibus illicitum conjugium, quod cum Epi- scopus prohibere et corrigere non posset, excommu- nicavit eum, atque omnibus qui se audire vellent præcepit, ne domum ejus, intrarent, neque de cibis illius acciperent. Contempsit hoc Rex præceptum, et rogatus a Comite intravit epulaturus domum ejus. Qui cum abisset, obviavit ei Antistes : at Rex in- tuens eum, mox tremefactus desilivit de equo, ceciditque ante pedes ejus, veniam reatus sui postulans. Nam et Episcopus pariter desilivit, sederat enim et ipse in equo. Iratus autem, tetigit Regem jacentem virga quam tenebat manu, et Pontificali auctoritate protestans. Dico tibi, inquit, quia noluit te continere a domo perdit et damtati illius, tu in ipsa mori habes. Sed credendum est, quia talis mors viri religiosi non solum talem culpam diluerit, sed etiam meritum ejus auxerit : quia nimium ob causam pietatis, quæ propter observantiam mandatorum Christi contigit.

**7** Successit autem Sigberto in regnum Suidhelinus filius Sexbaldi, qui baptizatus est ab ipso Ceddæ in provincia Orientalium Anglorum, in vico regio qui dicitur *h* Rendlesham, id est, mansio Rendili ; suscepitque eum ascendente de fonte sancto *i* Edelwaldus Rex ipsius gentis Orientalium Anglorum, frater *k* Annæ Regis eorumdem.

*a Una de septem Saxo-Anglorum in Britannia dynastiis,*  
*Orientalium Saxonum fuit, cujus caput ad ipsos Cantii limites*  
*Londinum.*

*b Mortuo Seberto Rege Christiano, tres ejus filii, Sexredus,*  
*Siwardus, Sebertus, cultum idolorum restituerunt an. dclxxvi, et*  
*Mellitum Episcopum expulerunt.*

*c Sigbertus cognomento Parvus, Siwardi filius, patre ac pa-*  
*tris a Kingislo Rege Occidentalium Saxonum et Quichelino filio*  
*ejus interfectis, regnum suscepit anno Christi dclxxii.*

*d Eadem paulo brevius narrat Westmonasteriensis ad ann.*  
*dclxviii Wigorniensis ad dclm.*

*e Lindisfarne insula, vulgo Holy-land, id est, insula sacra,*  
*Northumbriæ littori opposita, multorum olim Sanctorum sedes.*

*f Westmonasteriensis vocat Ithancestriam, atque sitam in ripa*  
*Pente fluminis. Cambdenus in Trinobantibus ait, hoc flumen*  
*Blakewater ab accolis dici, olim Pant. De Ithancestria sic scribit :*  
*Superius ad Boreale litus foruit urbs prisce memorie, quam*  
*Ithancestre majores nostri dixerunt. Scribit enim ex Beda Radul-*  
*phus Niger : Cæda Episcopus baptizavit Orientales Saxones*  
*juxta Maldoniam in civitate Ithancestræ, quæ erat in ripa Pant*  
*fluminis, quod currit juxta Maldoniam in Dengy provincia, sed*  
*modo illa civitas submersa in flumine Pant. Locum digito signare*  
*non possum, flumen tamen Froshwell hodie dictum, prius*  
*Pante fuisse nominatum, minime dubito, cum alter ex ejus*  
*fontibus Pantswell nuncupetur : et Monachi de Coggeshall sic*  
*dixerunt. Sunt qui asserunt hanc Ithancestram in extremo Cen-*  
*turiæ de Dengy, promontorio impositam fuisse, ubi hodie S. Pe-*  
*ters upon the wall, id est, ad agerem. Per hoc enim litus age-*  
*ribus contra Oceanum irruentem vix agros fuerunt accolæ. Ce-*  
*terum hanc Ithancestram Othonam fuisse quodammodo credo,*  
*ubi numerus Fortensium eum suo Præposito, inclinate Romano*  
*Imperio, sub Comite littoris Saxonici contra piraticas Saxonum*  
*depredationes stationem egit. Ab OTHONA enim in ITHANA de-*  
*flexio*

*f*  
*g*

*Construit mo-*  
*nasteria.*

*Sigeberti Bo-*  
*ni cædes ne-*  
*faria :*

*prædicta a S.*  
*Ceddæ.*

*Ceddæ Suid-*  
*helinum Re-*  
*gem baptizat.*

*h*

*i*

*k*

flexio non est duriuscula, et situs ad sinum, in quem plura flumina exonerantur, huic usui erat percommodus. *Hæc ille perquam curiose. Joannes Spedus lib. 1. Theatri Britannia cap. 16. hæc omnia oculis exhibet, censetque Ithancestriam fuisse, ubi nunc vicus ille est S. Petri ad aggerem.*

g *Westmonasteriensis Tileburg vocat, modo Tilbury dicitur, constatque ex pauculis ad lavam Tamisis ripam casis. Cambdenus ait hic Ceadæ sedem fuisse, cum circa annum dcccxx. Orientales Saxones per baptismum in Christi Ecclesiam insereret. Sed qui id factum dicamus circa annum dcccxx. cum Oswius, cujus consilio fidem suscepit Sigbertus Bonus Sigebaldi filius, non nisi an. dcccxxi, regnare coeperit?*

h *Est hic locus in Suffolcia ad lavam Debeni fluminis ripam. De eo agit Cambdenus in Icenis.*

i *Hinc conjici potest, quo fere tempore baptizatus sit Suidhelinus, aut, ut Harpsfeldius scribit, Suidhelmus, Swidhelmus Cambdeno: nam anno dclx, occiso cum Penda Ethelero factus est Orientalium Anglorum Rex Edwaldus sive Ethelwaldus: obiit ann. dclxiv, quo jam Suidhelini successor Sigerus Orientalibus Saxonibus imperabat.*

k *Interfectus est Annas Rex piissimus a Penda an. dclv.*

## CAPUT III.

## Alia Ceadæ opera, abstinentia, mors.

Offertur ei  
alibi locus  
ardificando  
cenobio.

a

b c

d

Id construct  
loco deserto.

Isa. 35. 7.

e

Locum prius  
jejunii et  
precibus san-  
ctificat.

f

Moritur peste.

Solebat autem idem vir Domini, cum apud Orientales Saxones Episcopatus officio fungeretur, sæpius etiam suam, id est Nordhumbrorum provinciam exhortandi gratia revisere. Quem cum a Edilwaldus filius b Oswaldi Regis, qui in c Deirorum partibus regnum habebat, virum sanctum et sapientem probumque moribus videret, postulavit eum possessionem terræ aliquam a se d, ad construendum monasterium, in quo ipse Rex et frequentius ad deprecandum Dominum verbumque audiendum advenire, et defunctos sepelire deberet. Nam et ipsum fideliter credidit, multum juvari eorum orationibus quotidianis, qui illo in loco Domino servirent. Habuerat autem idem Rex secum fratrem germanum ejusdem Episcopi vocabulo Celin, virum æque Deo devotum, qui et ipsi ac familiæ ipsius verbum et Sacramenta fidei (erat enim Presbyter) ministrare solebat, per cujus notitiam maxime ad diligendum noscendumque Episcopum pervenit.

9 Favens ergo votis Regis Antistes, elegit sibi locum monasterii construendi in montibus arduis ac remotis: in quibus latronum magis latibula, ac lustra ferrarum, quam habitacula fuisse videbantur hominum, ut, juxta prophetiam Isaia, in cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, e orentur viro calami et junci; id est, quod fructus bonorum operum ibi nascerentur, ubi prius vel bestia commorari vel homines bestialiter vivere consueverant. Studens autem vir Domini acceptum monasterii locum primo precibus ac jejunii a pristina flagitiorum sorde purgare, et sic in eo monasterii fundamenta jacere; postulavit a Rege, ut sibi per totum quadragesimæ tempus quod instabat, facultatem ac licentiam ibidem orationis causa demorandi concederet: quibus diebus cunctis, excepta Dominica, jejunium ad vesperam juxta morem protelans, nec tunc nisi panis permodicum et unum f ovum gallinaceum cum parvo lacte aqua mixto percipiebat. Dicebat enim hanc esse consuetudinem eorum, a quibus normam disciplinæ regularis didicerat, ut accepta nuper loca ad faciendum monasterium vel ecclesiam, prius orationibus ac jejunii Domino consecrarent. Cumque decem dies quadragesimæ restarent, venit qui clamaret eum ad Regem. At ille, ne opus religiosum negotiorum regalium causa intermitteretur, petiit Presbyterum suum Cymbellum, qui etiam frater germanus erat ipsius, pia cepta complere. Cui cum ille libenter acquiesceret, expleto studio jejuniorum et orationis, fecit sibi monasterium, quod nunc Lestinghem vocatur, et religiosi moribus juxta ritum Lindisfarnensium, ubi educatus erat, instituit.

10 Qui cum annis multis et in præfata provincia Episcopatum administraret, et hujus quoque monasterii, statutis Præpositis, curam gereret; casu con-

tigit, ut ad ipsum monasterium g tempore mortalitatis adveniens, tactus ibidem infirmitate corporis obiret: qui primo quidem foris sepultus est, tempore autem procedente in monasterio ecclesia est in honorem beatae Dei Genitricis de lapide facta, et in illa corpus ipsius ad dextram altaris reconditum. Dedit autem Episcopus regendum post se monasterium fratri suo Ceadda, qui postea Episcopus factus est. Quatuor siquidem, quos diximus, germani fratres, Cedd, et Cymbil, et Ceulin, et Ceadda (quod raro invenitur) omnes Sacerdotes Domini fuere præclari, et duo ex eis etiam summi Sacerdotii gradu functi sunt.

11 Cum ergo Episcopum defunctum ac sepultum in provincia Nordhumbrorum audiretur, fratres qui in monasterio ejus erant in provincia Orientalium Saxonum, venerunt illo de suo monasterio homines circiter triginta, cupientes ad corpus sui Patris aut vivere, (si sic Deo placeret) aut morientes ibi sepeliri: qui libenter a suis fratribus et commilitonibus suscepti, omnes ibidem superveniente præfata pestilentia clade defuncti sunt; excepto uno puerulo, quem orationibus Patris sui a morte constat esse servatum. Nam cum multo post hæc tempore viveret, et Scripturis legendis operam daret, tandem didicit se aqua baptismatis non esse regeneratum, et mox fonte lavacri salutaris ablutus, etiam postmodum ad ordinem Presbyterii promotus est, multisque in Ecclesia utilis fuit. De quo dubitandum non crediderim, quin intercessionibus (ut dixi) sui Patris, ad cujus corpus dilectionis ipsius gratia venerat, sit ab articulo mortis retentus, ut et ipse sic mortem evaderet æternam, et aliis quoque fratribus ministerium vite ac salutis docendo exhiberet.

a *Edelwaldus, Wigorniensis Ethelwaldus, Oidwaldus Westmonasteriensis, an dcl, S. Oswino (de quo xx Augusti agemus) in regnum Deirorum successit permittente Oswino patruo. Eo mortuo regnum datum Alfredo Oswii filio.*

b *Collitur S. Oswaldus v. Augusti.*

c *Erat Northumbria divisa in Bernicis et Dieros; hi Australiores.*

d *Videtur desiderari, accipere, vel quid simile.*

e *Isaia cap. 35, v. 7, ita habet: In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami et junci, arbitrorque omnino Bedam scripsisse oreterur viror calami, etc.*

f *Est quidem Quadragesimæ tempore interdictus ovarum et lactinorum usus, nisi ob penuriam piscium alicubi eum indulgeant Antistes. Sed verisimile est, aut Ceadæ ob stomachi imbecillitatem eo cibo fuisse opus, aut certe apud Scotos eam Ecclesiasticæ abstinentiæ legem aut consuetudinem necdum fuisse receptam. Et quamquam de ea re pridem ad S. Augustini quæstia rescripserat S. Gregorius, id tamen Scotti, apud quos Ceadæ eruditus erat, non adniserunt, nec forte audierant. De hac autem salutari abstinentia præclare disserit Stephanus Fagundes Noster in opere de Præceptis Ecclesiæ, et præsertim in apologetico de hac ipsa questione libello.*

g *Beda lib. 3, cap. 27, testatur anno dclxiv, subitam pestilentiam luem primo Australibus Britannia plagas depopulatum, deinde Nordhumbrorum quoque dittonem, et Hiberniam. Ea igitur extinctus est S. Ceadæ, ut tradit Wigorniensis ad eundem annum.*

## CAPUT IV.

## Alia Ceadæ opera, ac miracula.

Cum eo tempore Monachi Huenses, omnesque Septentrionales Scoti in celebrando Pascha aliisque nonnullis ritibus a Romana Ecclesia discreparent; habita est in Anglia in monasterio S. Hildæ (de quo ad ejus vitam xvii Novemb.) super ea præcipue questione Synodus anno Christi dclxiv, regni Oswii Regis xxii, ut refert Beda lib. 3, cap. 23, in qua erat etiam venerabilis Episcopus Ceadæ, jam diu ordinatus a Scottis, qui et interpres in eo Concilio vigilantissimus utriusque partis extitit. Consultata isthæ Scottorum observatione, Cedd, ut idem ait Beda cap. 26, relictis Scottorum vestigiis ad suam sedem rediit, utpote agnita observatione Catholici Paschæ. Sed de illa tota questione alias erit dicendi locus. Consuli interea potest Egidii Bucherii nostri commentarius in Victorii Canonem

Ex Beda.

g

Ejus fratres.

Monachi 29  
ad ejus sepulchrum moriuntur.

Unus servatur ejus meritis.

Ceadæ Synodo  
Streameshæ-  
lensi interest.

AUCTORE  
MONACHO  
ANONYMO.  
EX MSS.  
Animam Ce-  
didi fratris  
ad caelum de-  
portat.

nomem Paschalem cap. 10. Hujus Concilii meminit Wigorniensis ad eundem annum.

13 Idem Beda lib. 4, cap. 3, refert cum S. Ceadda de mundo transiret, visam a quodam viro sancto animam Cediti fratris ipsius cum agmine Angelorum descenditium de caelo, et assumpta secum anima ejus ad caelestia regna redire. Retulit id S. Higbaldus Abbas, de quo agemus xxii Septembris. Vitam

S. Cediti ex hac contractam habet Joannes Capgravius. De eodem agit Harpsfeldius sec. 7, c. 13, 22, etc. Florentius Wigorniensis in Chronico, praecipue ad annum dclm. Ranulphus Cestrensis lib. 3, c. 15 et 16. Mathaeus Westmonasteriensis ad an. dclxix et alibi. Wilhelmus Malmesburiensis lib. 1, de Regis Anglor. cap. 6, et lib. 2, de Pontificibus Anglor. Polydorus Vergilius lib. 4, Histor. Angl. et alii innumeri.

## DE S. TILLONE PAULO MONACHO IN GALLIA.

CIRCITER AN.  
CHRIST. DCC.  
VII JANUARI.  
S. Tillonis  
natalis.

**T**illonis, sive Tyllonis, aut Hillonii, sanctissimi Monachi nomen in pluribus commemoratur Martyrologiis hoc die; nominatim a Carthus. Colonien. et Molano in Addit. ad Usuard. Martyrolog. Coloniensi, Belgico, Germanico; Maurolyco, Galesin. Wion. Ferrario, Menardo, ms. Florario: licet in plerisque Stilo aut Stillo non recte vocetur. At ms. Martyrol. monasterii S. Martini Treviris, et Carthus. Colon. in Addit. ad Usuard. iterum v Janu. eum referunt.

Vita.

2 Vitam ejus ex Claromaresceni Cisterciensium in Artesia monasterii ms. codice damus, ab anonymo Monacho, ut ex Praefat. patet, conscriptam. Habemus et ms. de eo Officium, in quo haec recitatur Oratio: Deus, qui Beatum Tyllonem Confessorem tuum, piisque doctorem atque ministrum, infra collegium Deo psallentium praefecisti; quique illum honorem mundanum fugere, ac eremum petere monuisti: concede nobis, quaesumus, ut qui ejus festivitatem celebramus, ejus apud te pro nobis semper suffragia sentiamus. Per Dominum nostrum. Vitam ejus compendio narrant Hugo Menardus lib. 1 Observationum, Guilielmus Gazarus in Historia Ecclesiastica Belgii, Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano; atque hic tradit ossa ejus et cineres Sollembiaci asservari.

Invocatur  
contra febres.

3 Molanus in Natalibus SS. Belgii, inter cetera ita scribit: S. Hillonii festum postridie Epiphaniae Domini in Yseghem solemne est, quod etiam ab accolis colitur pro sanatione febrium. Eodem die celebratur festum ejus in parochia Gids apud Rollariam, ubi ad memoriam ejus multa edita sunt miracula. Cur autem in Yseghem patronus colatur, caussam allegant, quod S. Eligius, cum ad Flandros convertendos e Francia venit, eum servum suum, comitem assumpsit, et ad Yseghemenses, ut eos in fide Catholica instrueret, destinavit. Cui etiam conversionem suam, Dei gratia cooperante, acceptam ferunt. Pingitur ut Abbas cum pedo in sinistra manu, cum calice in dextera, ex quo eo vivente infirmi sanitatem potabant. Hactenus Molanus. Rollaria, quae et vulgo Rosselaria, est celebre Flandriae municipium. Iseghem inter Contracum et Rosselariam pagus est, Comitatus titulo ornatus.

Consultitur a  
S. Bonito.

4 XV Januarii in vita S. Boniti ista habentur: Qua de re pergit ad quemdam opinatissimum Dei famulum Tillonem, cognomento Paulum, ut ab eo accepto consilio, voto compleret quod mente conceperat. Quo cum pergens Sollembiacense tenus pervenisset Symionem hoc monasterium, etc. Idem commemorat Joan. Savaro in Originibus Claromontanis, qui S. Tillonem Abbatem Sommonensem vocat. Cum vero ex eadem S. Boniti vita constet, ejus electionem a Theodorico II probatam agente Pipino Herstallo, hinc de S. Tillonis aetate fieri conjectura potest, cum an. vxcxi, suscepisse primum totius Neustriae magistrum Pipinum tradatur. S. Auodenus in vita S. Eligii lib. 1, cap. 10. Pollebat itaque magis et magis in vigiliis, in jejuniis, atque in caritate: fabricabat in usum Regis utensilia complurima ex auro et gemmis. Sedebat

Ejus etas.

fabricans indefessum; et contra eum Tylo vernaculus ejus ex genere Saxonicus, qui magistri vestigia sequens, et ipse postmodum venerabilem vitam duxit. Agit de S. Tillone Aubertus Miraeus in Fastis Belgicis, traditque a nonnullis Tillmannum appellari.

### VITA

Ex ms. Claromarescano.

PRÆFATIO AUCTORIS.

**I**gitur cum gentiles poetae studeant sua figmenta Prolixis pompare stylis, et Saeva nefandarum renovent contagia rerum; ac Plurima Niliacis tradant mendacia biblis; ut eorum vana tantum discurrat gloria, quorum laudem veterum nectunt mendacia; cur nos Christiani salutifera taceamus miracula Christi, cum possimus sermone vel tenui, aedificationis historiam pandere plebi? praesertim et cum Ecclesiastica traditione, et Apostolica admoneamur auctoritate, de Sanctorum miris, seu virtutibus, nonnulla commemorare, ut scriptum est: Memoria Sanctorum cum laudibus. Et illud: Laudemus viros gloriosos, qui vicerunt regna mundi, ut sit memoria eorum cum benedictione, et nomen illorum permanet in aeternum. Nos in Christi laudibus recitare Sanctos debemus, quoniam revera Christi est muneris, quidquid in Sanctis ejus laudabile est.

Laudandi  
Sancti, et in  
eis Christus.

Prov. 10. 7.  
Eccli. 44. 1.

2 Quia ergo omnium paene miracula Confessorum, et multiplices victoriae Martyrum, litterarum monumentis jam habentur indite; nos modo vel exiguum, juxta qualitatem ingenii, tentabimus librum, in quo de ortu, et vita, gloriosoque obitu sancti ac beatissimi Confessoris et monachi Tillonis, adjuvante superna gratia, explicandum suscepimus. Id etiam ante nos jam tentatum ab aliquibus ex nostris monachis, eruditissimis viris, comperimus. Sed quamvis nos ad tantae rei narrationem minus simus idonei, tamen fratrum caritate frequenter exposcente, si Dei juverit favor, quae optime mihi comperta sunt, et quae ad memoriam Dominus reduxerit, quamquam imperito digeram stylo, non leporem sermonis requirens, Sancti simplicem vitam simplici sermone, ipsius animatus precibus, enarrare tentabo: ejus vitae cursum sermone inculto, legenti tamen amoris obtentu ferre conabor in publicum, ut ejus est vita cum Christo, memoriae gloria relatu celebretur in mundo, atque in hominum ore dulci commemoratione vivat in terris, qui cum Angelorum costibus vivit in caelis.

Vita S. Tillonis scripta ab aliis.

3 At ego cum ultra vires meas praesumo nimium, imperitiae meae timeo, cum etiam doctissimi viri, quidquid de eo dicere poterunt, minus proculdubio sit quam meretur: tamen ardore dilectionis, plus in illo quid velim, quam in me quid possim, consideravi. Nam cum sim debitor decem millium talentorum, velut exiguum meae rusticitatis reddere debitum festino, culpam scilicet metuens silentii incurrere, si agnita miracula, ut piger servus, silentio abscondam